

petitionem super primum Decretalium de Constitut. fori & poli, qui tractatus excusus est Venetijs Anno 1542. in 8. quem Bernardinus Bonfius J. U. D. Lector ordinarius, ac Decanus Patavinus testatur à doctissimo Marco Mantua, aliisque clarissimis viris in Patavina Academia examinatum, approbatum, commendatumque meritò fuisse. Scripsit etiam de privilegijs Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum. De criminibus in Deum, & proximum, & pœnis eorum. Floruit Anno Domini 1550.

## CAPUT XII.

## DE CHRYSOSTOMO.

**C**hrystostomus de S. Gemiliano Calaber, Monachus Casinensis factus sub Chrysofomo Neapolitano Abbate, postea Archiepiscopus Ragusinus creatus est; vir sanctitate insignis, reformator Monasteriorum Insulæ Melitæ prope Ragusium, in scientiis doctissimus: sed & in græca lingua valde eruditus. Transtulit diversos tractatus à græco in latinum sermonem. Claruit temporibus supradicti Imperatoris. Obiit Ragusii temporibus nostris, & sepultus est in suo Archiepiscopatu.

## ANNOTATIO.

**C**hrystostomus fuit electus Archiepiscopus, sedente Ludovico Beccatello Bononiensi die 21. Octobris 1564. ut ex actis Confistor.

## CAPUT XIII.

## DE FLAVIO.

**F**lavius de Ferrara, Monachus Casinensis, & postea Episcopus Ravellensis, græca & latina lingua validè instructus, à Papa Julio III. plurimum dilectus, atque ob hoc ab eodem Episcopus creatus est. Floruit temporibus Maximiliani Imperatoris.

## ANNOTATIO.

**H**unc non benè Flavius vocat noster Placidus, uti etiam Arnoldus Wion lib. 2. Ligni vit. cum Hercules Tombesius in Catalogo Ravellensium Episcoporum nominetur. Episcopali dignitate insignitus legitur Anno Domini 1555. die 18. Septembris. Ferrariæ, obiit Anno 1570. ibique sepultus in Ecclesia Sancti Francisci. Testatur Marcus Antonius Guarinus in Compend. histor. Ecclesiarum Ferrariens. lib. 4. pag. 247. & Vir. Clar. Ughellus in Episcopis Ravellensibus se legisse meminit insculpta in ejus tumulo hæc verba vernacula lingua. *Hercote Tambusi Vescovo 1570.*

## CAPUT XIV.

## DE SEVERO.

**S**everus Averfanus, in Casino Monachus sub Chrysofomo Abbate susceptus, vir in Philosophia versatissimus, & in Divinis Scripturis studiosissimus. Floruit temporibus supradicti Imperatoris, & sepultus est in Casino in Cæmeterio S. Annæ.

Claruit Anno Domini MDLXX.

## CAPUT XV.

## DE LUCA.

**L**ucas Fratensis Monachus in Casino sub Chrysofomo Abbate factus est. Vir acer ingenio, & in divinis scripturis, & in Philosophia doctissimus. Claruit temporibus Maximiliani Imperatoris, & sepultus est in Monasterio Sancti Benedicti Mantuanæ Diocesis, in quo Philosophiam publicè docuit.

Floruit anno MDLXX.

## CAPUT XVI.

## DE HIERONYMO.

**H**ieronimus patria Neapolitanus, ex Nobili & Illustri Caracciolorum familia oriundus, Monachus ab adolescentia factus est sub Hieronymo de Monte Rubeo. Vir humilitate summus, castitate pudicus, prudentia, animi magnitudine, morum gravitate, ac religionis conversatione insignis: nobilis carne, sed nobilior spiritu, humanis & divinis literis sufficienter instructus. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit, Abbasque titularis existit.

Anno MDLXX. clarescebat.

## CAPUT XVII.

## DE PAULO.

**P**aulus de Alta-Villa, Monachus in Casino susceptus sub Hieronymo de Placentia Abbate: vir in Græcis, Hebraicis, & Latinis literis doctissimus, memoria tenax, ingenio vivax. Fuit temporibus nostris, & sepultus est in Casino, in Cæmeterio S. Annæ.

Claruit anno MDLXXX.